beriore voce, & fronte, omni procul amandata erubescentia, Christum, Christique testabantur magnalia. Lege superius dicta cap. 4. de Prælio Nominis.

296 Apparet etiam quid mysterii portendant vittæ illæ sive laqueoli hyacinthini, quibus lamina ipsa ad frontem ligabatur. Evulgat Aponius lib. 6. in Cantica ad illa verba: *Sicut vitta coccinea labia tua* (quæ nos infrà de martyrum testimonio enodamus) ita præclarè. *Coccum color est sanguinis, vitta coccinea Mitra dicitur, quæ alligata pendet in capite Aaron Summi Pontificis, regalem demonstrans insignem honorem, qui per confessionem Nominis Christi, veri Regis adquiritur, qui procul dubio cruor Martyrum intelligitur in Ecclesiæ labiis rutilare.* Quasi diceret: nihil sunt aliud externæ Martyrum confessiones, & publica testimonia, quàm vittæ coccineæ, quibus Christi nomen Tiaræ alligatur Pontificiæ, firmatur, & stabilitur in Ecclesia, ac toto orbe personat, floret, & quoquo versùs securum advolat: *lamina* enim illa appellatur Exod. 28. 36. Hebraicè *sis* id est *ala*, sive *penna*: vel etiam *flos*. Jere. 48. 9. Imò vero etiam quando inter martyrii cruciatus, Martyres Christum Deum, & Hominem, ejusque mysteria, intrepidâ citra ruburem confitebantur voce; videtur in illorum fronte, & labiis rutilare mitra illa Sacerdotalis cum lamia aurea, & Jesu Christi nomine altissimè cælato. Quò veniunt illa Cant. 7. 5. verba: *Caput tuum, ut Carmelus, comæ capitis tui sicut purpura Regis vincta canalibus*; quæ de Martyribus infrà fusè explicabimus; probantes, verè illos esse Ecclesiæ Cæsariem. Hic solummodò ad rem expendas Hebræorum, & Græcorum translationem hanc. *Comæ capitis tui sicut purpura: Rex ligatus transcursibus*, vel *canalibus*. Rab. Salomon: *nomen Dei alligatum est cincinnis; quia scriptum est, corona Dei sui in capite ejus.* Sensus ergo erit: Martyrum testimonia ad instar sunt vittarum purpurearum, quibus Regis Christi nomen alligatur, & firmatur. Sanè cum intuitu ad laminam auream, & Jesu nomen ligatum vittis coccineis in mitra Pontificia. Adde, rationale, in quo *doctrina*, & *veritas*, aureis catenulis fuisse illigatum. De suis vinculis ait Paulus ad Philip. 1. 13. *Vincula mea manifesta fierent in Christo in omni prætorio, & in cæteris omnibus*: quia de Christo testimonium reddebat generosè, & publicè. Quid inde? Illigatam, & firmatam mirum in modum Christianam veritatem, & doctrinam: propterea subtexit. *Et plures à fratribus in Domino confidentes vinculis meis, abundantius auderent sine timore Verbum Dei loqui.* Græcè est; *persuasi vinculis meis.* Atqui in toto prætorio, id est, per totam aulam Cæsaris, manifestum factum est, catenas subiri à Paulo Christi causâ. Istiusmodi verò catenæ non solùm effecerunt, ut rumor doctrinæ Evangelicæ ad omnes aulicos perveniret; verùm etiam occasionem illis obtulit inquirendi quod, & quale esset hoc Evangelium. Inde major Christi notitia, & in Christianis fiducia ex Pauli vinculis ad annunciandum intrepidè Evangelium.

Vittæ coccineæ, Martyrum testimonia. Can. 4. 3. Aponius.

Can. 7. 5.

R. Salo.

ad Phil. 1. 13.

Paulus.

Tintinnabula aurea sunt Mart. testimonia.

Certè tintinnabulorum sonitus, id est, sonora Martyrum testimonia; nec non lamina aurea in fronte, id est, eorundem confessio libera, & publica, videntur celebrari à purpureo Vate Psal. 118. 46. *Et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, & non confundebar*: juxta D. Ambrosii expositionem, qui illustrissimum pangit Martyribus Encomium. *Gratè convenit ista vox Martyri, qui vocatus ad sacrilegium, exprobrantibus sibi Regibus crucifixum Jesum non erubescebat: sed magis gloriabatur in Cruce Christi, & illam mundi salutem esse testimoniis cælestibus astruebat &c.* Rectissimè, sed fusè deinde explicat liberam Martyrum confessionem coram Tyrannis; & testimonium de Christiana religione publicè, & generosè, atque extra omnem ruborem, ab ipsis prolatum, etiam inter acerbissima cruciamenta. Dum *loquebantur de testimoniis Dei in conspectu Regum* sonitus creber, & publicus audiebatur aureorum tintinnabulorum, inter malogranata purpurea, seu martyrii flores sanguineos. Dum verò *non confundebantur* Regum majestate, potestate, minis, & sævitia; in fronte, & pectore ostentabant Christi nomen, Crucis sacramenta, Fidei Christianæ doctrinam, & veritatem. Suavissimus planè istiusmodi tintinnabulorum tinnitus, decora facies, præferens, absque rubore, Jesu Christi fidem. Ut enim etiam præclarè S. Nyssenus Orat. de S. Theodoro Martyre: *Terque quaterque beatus Theodorus, quòd insigni pietate præditus esset, fidemque in Christum ubicunque circumferret, propemodum in fronte confessionem inscriptam gerens.*

S. Ambr.

S. Nyss.

297 Denique mysterii expers non est ad rem nostram numerus ille duorum, & septuaginta malogranatorum, & tintinnabulorum; qui quidem symbolum extat orbis universi: quippè mundi nationes in septuaginta duas initio sunt dispertitæ, convenienter nimirùm totidem linguarum divisioni: nam fuisse hunc numerum linguarum, colligitur ex Genes. 11. Et apertè tradunt Doctores omnes Hebræi, Græci, & Latini; de quo nostri Maldon. Luc. 10. 1. Perer. in Genes. 16. disp. 10. Sanè mysterium est, fore ut per terrarum orbem universum percrebescerent Martyrum neces, confessiones, & vocalissima testimonia. Hic jam commodè Ambrosius Serm. 77. de Natali SS. Martyrũ Octavii, Adventitii, & Solutoris. *Ideo Dominus per totum mundum diversis in locis pati Martyres voluit, ut tanquã idonei testes nos præsenti quodã fidei exemplo suæ confessionis urgerent; ut humana fragilitas, quæ prædicatione longiore vix credit, vel præsenti oculorum testimonio martyrio crederet beatorum.* Indè signatim Martyribus Christianam religionem voce libera ubique testificantibus adaptes illa Psal. 18. 5. verba; *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.*

In omnem terram exivit Mart. sonus.

S. Ambr.

Psl. 18. 5.

CAPUT XII.

In Martyrum confessione apparet serpentina Prudentia, & columbina Simplicitas.

298 DEi Filius, mundi Liberator, & Magister non Apostolos modò, sed Christianos etiam omnes alloquens, Martyres potissimùm, nexum *Prudentiæ*, & *Simplicitatis*, pulcherrimum, & necessarium sic commendat apud Matth. 10. 16. *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio Luporum. Estote ergo prudentes sicut Serpentes, & simplices sicut Columbæ. Cavete autem ab hominibus: in conciliis, & in Synagogis suis flagellabunt vos; & ad præsides, & ad Reges*

Matt. 10. 16.

ges ducemini propter me, in testimonium (Græcè *in martyrium*) *illis, & Gentibus.* In confesso est sermonem hic esse de Martyribus, deque illorum confessione, & publico testimonio in Fidei causa coram Tyrannis, etiam si mille immineant, & in eos expromantur cruciamentorum genera. Propterea subdit: *Cum autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini. Dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Instruuntur certè Martyres, qua ratione coram Fidei Christianæ hostibus, nequitiæ ministris, se gerere debeant; armati videlicèt serpentinâ Prudentiâ, & columbinâ Simplicitate. Rem illustro.

Matt. 10.

299 Atque illud in primis extra omnem debet esse dubitationem, in serpente designari Prudentiam Christianam. Serpentis verò prudentia in multis apparet. Primò, & præcipuè quòd, cùm impetitur saxo, vel baculo, totum corpus pro capite servando obiicit ferienti: quemadmodum Ecclesiæ Patres ad hunc Matthæi locum communiter observant. Unde egregiè intulit S. August. tom. 3. de Doctrina Christiana lib. 2. cap. 16. *De serpente, quod notum est, totum corpus eum pro capite obiicere ferientibus, quantum illustrat sensum illum, quo Dominus jubet astutos nos esse sicut serpentes; ut scilicèt pro capite nostro, quod est Christus, corpus potiùs persequentibus offeramus, ne fides Christiana tanquam caput necetur in nobis, si parcentes corpori negligamus Deum.* Quis non videat, hæc abundè, & signatim præstita ab Ecclesiæ Martyribus, si quidem pro veritatis testificatione susque deque habuerunt terrena omnia, chara quæque se ipsos, suamque vitam? Neque inopiæ timor, neque ambitionis honor, nec formæ decor, nec libido voluptatis, nec mundanæ pompæ choragium illos ab eo avertit, quod ad salutem utile cognoscebant. Lege Rupertum lib. 3. in Matth. S. Epiphanium hæresi 37. & nos infrà, ubi de Martyrum Prudentia.

Christiana prudentia in serpente designata.

S. August.

S. Chrysost.

Martyres prudentissimi.

300 Secundò in eo etiam Martyribus proponitur imitandus Serpens; *quòd per cavernæ angustias coarctatus, depositâ vetere tunicâ, vires novas accipere dicitur*, ut loquitur Augustinus locis memoratis: & observant etiam S. Beda in Matth. cap. 21. & S. Basil. Orat. 7. Tertull. lib. de Pallio. Aristot. lib. 8. de Histo. Animal. cap. 17. Plinius lib. 8. cap. 27. & lib. 22. c. 23. Certè Ecclesiæ Doctores hoc illud esse putant, quod Paulus ad Ephesios 4. 22. & ad Colosss. 3. 9. scripsit: *Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis.* (id est similitudinem peccantis Adami) *& induentes novum*; Christum videlicèt, effingentes illum in vobis vitâ, & moribus. Hoc ut fiat, monet Matth. 7. 13. Dei Sapientia Matth. 7. 13. *Intrate per angustam portam.* Sanè hæc in Martyres cadunt ad amussim: ipsi quandoquidem per arctam Martyrii viam ingressi sunt, petram quæsiverunt, Christum scilicèt crucifixum, per cujus foramina magno nixu contendentes, pronique transire nitentes, cutem corporis exuerunt, exuti priùs veteribus moribus, ac novo se homine induerunt Christo crucifixo. Audi Ambrosium hic opportunè loquentem in Psl. 118. Ser. 6. ad illud; *Et respondebo exprobrantibus mihi verbum.* Ita ille. *Estote astuti sicut serpentes. Celebramus enim diem, quo revelata sunt populis corpora SS. Martyrum, qui veluti boni serpentes, depositis carnis exuviis, tentationum hyemalium rigore superato, & Spiritus Sancti renovati gratiâ, æstiva mundo luce fulsere, missi ut agni in medio luporum.*

Ad Col. 3. 9.

Matth. 7. 13.

S. Ambr.

301 Tertiò, placet summoperè Remigii in Matth. expositio existimantis serpentinam prudentiam Martyribus commendari per antithesim, seu contrapositionem: ejus verba apud S. Tho. in Catena sunt. *Pulchrè Dominus prædicatores, serpentis prudentiam monet habere, quia primus homo per serpentem deceptus est. Ac si diceret: quia hostis callidus fuit ad decipiendum, vos prudentes sitis ad liberandum; ille laudavit lignum, vos laudate Crucis virtutem.* Nota est Serpentis antiqui astutia, & calliditas, quem uti oratorem, & nequitiæ ministrum adhibuit Diabolus, ut Evam deciperet. Certè, blandum illius Serpentis alloquium imitantur fidei hostes, dum blanditiis, & promissionibus Martyres à veritatis confessione, & tramite dimovere nituntur, & ad suos errores traducere tentant: sed frustrà laborant, frustrà dolos nectunt: inest quippe Martyribus sapientia Dei, prudentia Christiana, calliditas, & astutia longè præstantior ad detegendas, & evitandas Tyrannorum insidias, mollia verba, & promissa contemnenda. Obvia sunt in rei hujus confirmationem exempla in Martyrum actis: nonnulla suprà statuimus in Proludio c. 2. Lege S. Basi. homi. de 40. MM. S. Gregorium Nysse. Orat. in eosdem, S. Chrysost. Serm. in Juventinum, & Maximum Martyres tom. 3.

Remigi.

Martyres calliđo serpente prudentiores.

302 Hanc astutiam commendabat Paulus ad Ephe. 5. 15. *Videte fratres, quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed ut sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei.* Contra vafros, & astutos Ecclesiæ adversarios necessaria est Martyrum prudentia, ne quid præter voluntatem Dei, & gloriam admittant. Ubi Chrysost. Homi. 19. exprimit eleganter, & fusè quò nam prudentia hæc spectet, & quid sit redimere tempus, hac sapiente comparatione. *Cogita mihi quendam domum habentem illustrem, deinde quosdam hoc nomine subingressos, ut eum occidant, illum verò multis largitionibus se ipsum liberantem: tunc dicimus, iste se ipsum redemit. Ita & tu. Amplas habes ædes, veniunt ablatum fidem tuam genuinam, & veram; largire omnia, quidquid petatur, dumtaxat caput, fidem dico conserves.* Universim Apostoli verba sic accipias: *dies mali sunt*, hoc est viget adversùs Christianos persecutio: ut verò in primis Deum, salutemque tueamini, vos ipsos Christianâ instruite prudentiâ, astutiâ, & calliditate adversùs Tyrannorum versutiam improbam, machinamenta callida, atque ad maleficium instructa. Ubi pro Martyrum prudentia longissimè superante, & devorante Tyrannorum astutiam expendas portentum illud ab Aarone præstitum in signum potestatis, & auctoritatis suæ coram Pharaone Exo. 7. 9. *Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac vertatur in colubrum. Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & servis ejus, quæ versa est in colubrum.* Ad hæc, vocati à Pharaone malefici, per incantationes suas Aegyptiacas quid simile fecerunt: *Proiecerunt singuli virgas suas, quæ versæ sunt in*

Ad Eph. 5. 15.

Quid sit redimere tempus.

S. Chrys.

Martyrum prudentiâ devicta Tyrannorum astutia.

Exo. 7. 9.

dracones. Quid inde? *sed devoravit virga Aaron virgas eorum.* Certè, ab ore proprio Aaronicæ virgæ in Serpentem conversæ, devoratæ sunt incantatorum serpentes. Cùm verò symbolicè per Serpentem prudentia designetur, sive improba, & fucata, qualis Tyrannorum, sive vera, & Christiana, qualis Martyrum; existimandum est, hoc portento nihil potiùs portendi, quàm cælesti Martyrum prudentia, & publica veritatis testificatione, superandam, & perdendam stultam Tyrannorum, & Stygii Serpentis prudentiam, & versipelles nequitias, ac labyrinthicas fraudes. Quasi Martyr sit Serpens Serpentis Dæmonis, seductor seductoris primi, Christianâ prudentiâ profligati. Quæ interpretatio videtur esse Pauli 2. ad Tim. 3. 8. *Quemadmodum Jannes, & Mambres* (sic appellabantur Magi Pharaonis) *restitunt Moysi: ita & hi* (Ecclesiæ hostes) *restiterunt veritati: homines corrupti mente, reprobi circa fidem; sed ultra non proficient* (id est non prævalebunt) *insipientia enim illorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.* Deinde Timotheum adhortatur, ut pro Christo Martyrium subire paratus sit, ad ipsius Pauli exemplum. *Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam, persecutiones, passiones, qualia mihi facta sunt Antiochiæ, Iconii, Lystris.* Quasi diceret: hac Christianâ prudentiâ devorabis Tyrannorum versutias; hæ quippe in Magorum serpentibus, illa verò in Aaronis colubro fuerunt præsignatæ.

Martyr serpens serpentis Dæmonis. 2. Timo. 3. 8.

303 Venio ad columbinam Martyrum simplicitatem, quæ in publica eorum testificatione maximè respienduit. Verè illi *simplices sicut columbæ*: quorum verborum commentarium accipe ex S. Chrysost. Homi. 34. in Matt. *Simplicitatem columbæ adhibere te jubet, ne injuriatus ulciscaris, aut ad punitionem insidiantes abducas.* Quod confirmat Apostolorum exemplo, qui in suis perpessionibus nunquam columbæ simplicitatem deposuere; sed molli, mansueta, & blanda responsione iram persecutorum superarunt. Apud Isaiam cap. 44. 2. appellatur populus fidelis, & Christianus, *rectissimus. Noli timere serve meus Jacob, & rectissime, quem elegi.* Ut verò ostendatur ea *rectissimi* nomenclaturâ indigitari Martyres præsertim, qui *rectissimi* jure meritò sunt, dum publicè doctrinæ revelatæ attestantur, eosdem appellat v. 8. *testes* Dei *vos estis testes mei*; qui infracto animo coram Tyrannis dicent: *Domini ego sum*: id est, Christi cultor, Christianus. Apparet quidem in hac externa confessione simplicitas columbina, quam præ se fert illa vox *rectissimus*: sæpè enim in divinis Paginis, idem est *rectus*, qui *simplex*. Apud Salomonem in Ecclesiaste 7. 30. *fecit hominem rectum.* S. Epipha. lib. 9. Hæres. 77. *simplicem, & prudentem.* Et vocem originalem, *simplicitatem*, etiam vertit Interpres Job 33. 3. & 1. Parali. 29. 17. *simplicitatem diligis*: propriè ex Hebræo transferas: *rectitudinem diligis.* Appellantur ergò Martyres testes *rectissimi*, id est, *simplicissimi*; quia in publica fidei Christianæ confessione magnificam, & illustrem simplicitatem prætendunt. Vox Hebræa *jesçurum* vertitur à Leone Castrio *canens*, à *scur*, id est, canere, cantare, psallere. Atqui Martyres, seu testes, quos rectissimos, & simplicissimos nominat, vocat *canentes, cantantes, psallentes*, ob vocalissimæ confessionis dulcedinem, & jucunditatem. De qua Canti. 2. 14. *Surge, propera amica mea, speciosa mea, & veni. Columba mea in foraminibus petræ, & in caverna maceriæ. Sonet vox tua in auribus meis, vox enim tua dulcis.* Quæ verba de Martyrum testificatione Deo perquàm jucunda interpretatur S. Ambrosius in Ps. 118. v. 46.

simplicitas columbæ in Martyrum confessione. S. Chrys. Isai. 44. 2. Ecclę. 7. 30. S. Epiph. 1. Para. 29. 17. Can. 2. 14.

304 Hæc eadem columbina simplicitas resplendet etiam in ipsa Martyrum taciturnitate satis opportunè adhibita coram fidei hostibus. Quò facit titulus Psalmi 55. ubi sub comparatione Davidis gravissimum inter Gethæos subeuntis periculum, populus Christianus proponitur à Gentilibus oppugnatus, sed in Deo confidens. Inscriptio verò huic Ps. præfixa est: *In finem pro populo; qui à Sanctis longè factus est, David in tituli inscriptionem, cùm tenuerunt eum Allophyli in Geth.* 1. Reg. 21. 12. S. Hieronymus in Commentariis, ex Hebræo ita habet: *Pro columba muta longitudinum David humilis, atque perfecti, cùm tenuissent eum Philistiim in Geth.* Et in propria translatione sua ita extulit: *Victori pro columba muta, eò quòd procul abierit David humilis, & simplex, quando tenuerunt eum Allophyli in Geth.* Lyranus nomine columbæ vocitari Davidem putat, *quia fuit sine felle amaritudinis*, & mutam columbam dici, *quia tentus à Philistæis non audebat loqui idioma Hebraicum, sed mutavit os suum coram Achis.* Certè hæc columbina taciturnitas Martyres præsertim Ecclesiæ spectat humiles, perfectos, & simplices, appetendæ ultionis ignaros, & felle amaritudinis vacuos, quantumvis diris impeterentur cruciamentis, & probris. Quod olim adumbravit mansuetus, & simplex David coram Achis taciturnus, & irrisus.

Columbæ taciturnitas in Martyribus. Ps. 55. 1. 1. Reg. 21. 12. S. Hieron. Lyran. 1. Reg. 21. 10.

305 Demum, hactenus dicta illustro accommodis Canticorum verbis c. 1. 10. ubi Christus suam exornat Ecclesiam sponsalitio cultu, qui & serpentinæ prudentiæ, & columbinæ simplicitatis sit emblema. *Murænulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* Ad fidei Martyres transferunt hoc ornamentum S. Ambros. Ser. 3. in Ps. 118. Philo Carpa. & nonnulli alii in Cantica: qui promitti Ecclesiæ arbitrantur in suis Martyribus monile pretiosissimum in murænularum similitudinem efformatum. Est autem *muræna* ex serpentium genere, qui animam in cauda habere dicuntur; ut tradunt S. Isido. lib. 19. Originum c. 31. lib. 12. cap. 6. Clemens Alexan. 2. Pædago. c. 12. Unde efferri Canticorum verba possunt, ita: *Serpentes aureos faciemus tibi vermiculatos argento.* Porrò donatur istiusmodi ornamento Ecclesia pro argumento, & documento serpentinæ prudentiæ, quæ innotescit in suorum Martyrum testificatione, vitam temporalem adeò parvi æstimantium, ut non in capite ponant, sed ad pedes provolvant. LXX. Seniores pro *murænulis*, transtulere *similitudines.* Sed quarum rerum similitudines sint, non explicant. Verisimile est nostro Sanctio esse *columbarum* vermiculatas argento. Et S. Grego. Nysse. illa verba, *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis* (ubi pro *turturis* est eadem vox Hebræa, quæ significat etiam *murænulas*) ita effert: *Pulchræ reddita sunt maxillæ tuæ tanquam columbæ.*

Monile Ecclesiæ ex serpente, & columba. can. 1. 10. LXX. P. Sancti. S. Nysse.

lumbæ. Undè vertas: *Columbas aureas faciemus tibi vermiculatas argento*: vel etiam (ut LXX. habent, & alibi expendo) *cum stigmatibus, cum cicatricibus.* Ut appareat, non solùm dari Martyribus serpentes aureos sanguine purpuratos in prudentiæ symbolum; sed etiam columbas ex eadem materia pro simplicitatis, & mansuetudinis argumento, & insigni. Utraquè virtus nexa, & decore illigata mirabilem catenam efficit, seu torquem aureum: *Catenas*, vel *torques aureos faciemus tibi.* Ps. 59. 6.

CAPUT XIII.

Martyrum testimonia sunt Fræni aurei, æreaque Crepitacula in equis rufis ad cursum Christi gloriosum.

306 PRo nostrorum Martyrum symbolo in medium produco equum inter quadrupedes pulcherrimum, & humano generi utilissimum, præsertim si bellum consideremus. Animal quidem generosum, animo arduo, atque vivido, & gloriæ appetente, fræno aureo, æreis crepitaculis, phaleriſque pulchris superbiens, amans Dominorum, nobile, magnanimum, fidum, triumphale. Quæ dotes, cùm sint per se amabiles, & præ se ferant nescio quid celsum, speciosum, ac celeste mirum non est, si in divinis Literis Martyres nominentur *Equi Dei. Equi rufi* Zach. c. 1. v. 8. juxta multorum Patrum, & Expositorum mentem. S. Hiero. *Equi rufi Apostoli, & Apostolici viri, quorum alii Martyrio coronati sunt, & appellantur rufi.* Petrus Abbas Celensis lib. de panibus cap. 21. *Equi rufi sunt Martyres, semper mortificationem in corpore suo pro nomine Jesu usque ad finem sustinentes.* Similiter S. Ambrosius in Symbolo Apostol. to. 4. per equos rufos accipit *Martyres, qui Martyrio rubri.* Atque hic sensus non mysticus dumtaxat, sed litteralis symbolicus à cordatis, & sapientibus viris existimatur; principe. n. intelligentiâ visiones illæ Zachariæ, futuras Ecclesiæ glorias spectabant; vir equo vectus rufo Christus Martyrum princeps, & dux est; quem equi similiter rufi sequuntur, id est fortissimi Ecclesiæ proceres, invictique Martyres, Evangelici exercitus frontem jure quasi suo occupantes. Quò etiam spectat equus rufus, de quo Apoc. 6. 4. *Et exivit alius equus rufus.* Victorinus legit, *roseus*, sanguineo rosarum colore tinctus. Andreas primus (ut putatur) Apocalypseos Interpres putat per hunc equum designari secundum Ecclesiæ statum Apostolico proximè succedentem, & Martyrum innumerabilium feracem. Undè concludit. *Porrò equus rufus effusi Martyrum sanguinis symbolum est.* Hos igitur sanguineos equos promittit Deus se consensurum Habac. 3. 8. *Qui ascendis super equos tuos, & quadrigæ tuæ salvatio. Suscitans suscitabis arcum tuum.* Ad quæ verba doctissimus Cosmas Damianus Hortolanus lib. 1. in Cantica benè arbitratur, juxtà abditiorem sensum, prædici à Vate, Christum insessurum *suis Martyribus, veluti equis*, & illorum *constanti testimonio* utentem, quasi ex quadrigis emissis sagittis, hostes suos expugnaturum, suumque populum servaturum. Rectè quidem, sed addo, positum *arcum Dei* pro *veritate*, quam Martyres ore, & passione propugnabant, juxta illud Ps. 59. 6. *Ut fugiant à facie arcus.* Hebraicè, *a facie veritatis.*

Equi rufi Martyres. S. Hieron. Abbas Celen. S. Ambros. Apoc. 6. 4. Habac. 3. 8. *Quadrigæ Dei sunt Martyres.*

307 Hæc ipsa Martyrum testimonia, quibus depugnaturus erat Deus pro suo populo Christiano, statuo esse quasi aurea equorum frena, æreaque crepitacula, seu tintinnabula ad cursum Christi celerrimum. Quod celebri Canticorum testimonio illustro cap. 1. 8. Ubi Ecclesia, præsertim primogenita (juxtà delicatam nostri Alcasaris interpetationem) eligitur in equitatum Dei ad Pharaonem, id est, Christianæ religionis hostes, demergendum, & perdendum, & ad veros Israelitas, id est, electos, salvandos. Excitatur à Christo, ut ne familiaritatem hominum fugiat, sed usa potius persecutionis opportunitate graviter eos perquirat, & expulso huc illuc tyrannorum furore, ubivis animas denuò lucrifaciat. Quod effectum sanè est publico Martyrum testimonio sanguine, & passione sancito. *Equitatui meo* (id est, equorum multitudini) *in curribus* (id est, contra currus) *Pharaonis assimilavi te amica mea.* Pro *amica mea* ex Hebræo efferas: *confracta, conquassata, afflicta mea.* Quasi digito monstret Ecclesiam in suis Martyribus exagitatam. Subdit Sponsus: *Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turtures, collum tuum sicut monilia.* In Syro Chaldæo sermone pro, *genæ*, est vox *lechi*, id est *frænum.* Verti potest: *pulchra sunt fræna tua.* Pro *turturis*, est Hebraicè *thorim* in plurali, quod significat elegans genarum ornamentum ex auro, & gemmis affabrè elaboratum, ut tradunt Hebræi, & multi ex nostris. Ideò subtexitur: *collum tuum sicut monilia.* Dicitur *collum* Hebraicè à radice *sur*, id est obsidere, oppugnare, angustiare, affligere, tribulare, ligare, roborare, fortificare. *Monilia* verò à verbo Syrochaldæo, quod perforare significat: unde nomen *ornamentum* est (inquit Elias in Tesbi) *quod constat margaritis, & gemmis pretiosis, quæ simul filo conjunguntur.* Unde verti potest: *Ligatura tua, vel coarctatio tua, obsessio, afflictio, fortitudo tua sicut fila margaritarum.* Ipse Elias legit. *Collum tuum in monilibus.* Sebastianus Munsterus in Cantica: *Collum tuum cum torquibus.* Victorius Scialah in sua ad Cantica translatione ex lingua Arabica: *Collum tuum sicut monilia gemmarum.*

Dei equitatus adversus hostes. Can. 1. 8. *Frena nurea, ad similitudinem turturum.* Elias. Victo. Scia.

308 Accipe jam Rabbi Abenezra interpretationem: *Comparat peplum, quo figurato mala ejus tegitur, fræno ad similitudinem turturum delineato, quod adhibetur equorum maxillis. Monilia aurea, quæ alligantur, respondent chamis, quibus vinciuntur equorum colla.* Consonat R. Innominatus, expendens illa, *Pulchræ sunt genæ tuæ, sicut turris*; vel ut ipse vertit, *in murænulis. Debent exponi pro sententiæ exigentia, ut sint tintinnabula annexa frænis equinis novorum equitum.* Et quidem in litteris humanioribus fræna equorum, & ærea crepitacula dici solent *torques, monilia.* Gellius lib. 5. c. 5. *Equitatum ephippiis, monilibus, phaleris præfulgentem.* Juvenalis Satyra ultima. *Ut læti phaleris omnes, & torquibus omnes.* Virg. lib. 7. Aenei.

Instratos ostro alipides, pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent.

Et Xenophon lib. 8. Cyropæd. *Equi ducebantur frænis aureis.* Hinc planum est in hoc Canticorum loco sumi metaphoram ab equis nobilibus, & superbis equestri instrumento circum-

R. Abe. R. Inno. *Tintinnabula à frænis.* Gellius. Juvena. Virgi.